

IOACHIMI VADIANI HEL:
VETII POETAE LAVREATI, AD RVDOLPHVM AGR^L
COLAM RHETVM EPISTOLA, IN QVA
LOCORVM SEQVENTIVM
FIT EXPLICATIO.

Quid Plinius capite secundo libri septimi per Dodrantem intelligat, vbi de Pygmæis scribit: & ibidem de Pygmæis pulchra.

Quid idem per vnciam capite decimo sexto intelligat, cum Gabbarem scribit longitudinem habuisse nouem pedum, & totidem vnciarum.

Locus Persij: Si costam longo &c. ex Saty. prima.

De Antipodibus, quod sint, & quomodo sint, pulchra disputatio.

Quæ causa Augustinum ad negandum Antipodas esse impulerit, & an recte negaverit.

An Lactantio in Antipodium refutatione adhibenda sit fides: & inibi quam temere aliquando idem author, de rebus non satis sibi compertis differuerit.

Macrobius & priscos fere in Antipodium situ lapsos fuisse.

De lacu Acronio, & Veneto, quos Rhenus fundit, pulchra: & quod apud Melam libro tertio non Acromus, sed Acronius legendum sit.

PRAETEREA

Locus Lucani ex libro sexto de Dorio.

Locus Virgilij ex primo Georgicorum, de vertice Austrino.

CVN RADVS SCIPIO LECTORI.

Lector in his si displicuere inuenta, repente
Dispeream: dubitas? pellege, certus eris.

RUDOLPHVS AGRICOLA IVNIOR RHETVS CASPARI
VELIO VRSINO SYLESIO, INSIGNI
POETAE, S. D.



Edico ego tibi mi Caspar, laborem minimum, quo in scribendis literis ego & Vadianus uti solemus: nisi enim quod ad me attinet, extemporarium dicerem, quod ad amicos preferendum literis includo, plane mihi ipsi non iniuria videri possem iniuriosus, qui aliud quam res habeat affererem. Idem & Vadianum solere per hos proximos menses, quibus contubernio suo mihi datur perfici, quotidie experior. At cur (ais) non grandia nobis dicas potius? paruo enim ea aestimari nosti, que facile ad manum sunt. Qui scis, Caspar, an maiora apud me supersint debita tibi? id quod & ingenium tuum, & eruditio omniū bonorum studiorum accessione in te parta meretur. Quanquam, ut quod sentio dicam, ne haec quidem a te contemni volo, esto subito fortassis labore parta sint. Causa est, quia ingenia paulo acutiora, & peritiora paruo saepe labore ea, que minus eruditis magno sudore vix excogitari possent, edere solent, digna doctorum, & tui similium lectione. An de me loquar, queris? Non equidem, sed de Vadiano nostro, cuius tibi eruditio, & humanitas perinde ac mirabilis nota est. Postremo, quia & me & Vadianum pari amoris officio complectet, perspectum erat mihi te utriusque Idyllijs, hoc est subcisiuis horis conscriptis animi laxamentis, immo literis, oblectatum iri. Valebis igitur, leges q; ista alij s, non ut & vagos, sed ut censor.

VIENNÆ. xiiiij. Calend. Iulias.

Anno. M. D. XIII.

IOACHIMVS VADIANVS HELVETIVS, POETA A CAESARE
LAVREATVS, RVDOLPHO AGRICOLAE IVNIORI,
RHETO S. D.



Ratae admodum iste gratie fuerunt, quas egisti mihi proximis literis tuis Rudolphe amicissime, quod paulo diligentius, & vt amicum decebat, enixe de tua valetudine certior esse cupiissimem. Ego postquam rumore quodam ad me perlatum erat, te cum Cracouiam egressus Istrogranum venisse, in grauem morbum incidisse: vix dixerit quantum animo consternatus fuerim, nam & dolui impense, & pro tua incolumente Diis immortalibus vota nuncupauit, eademq; lectis proxime literis tuis exoluimus, quod leuiuscula febri correptum, ex integro conualuisse intelligebam. Quæreris quae causa sit? Non ea quidem, quod mihi de facie notus, paulo ampliorem mecum per mutuam vitę consuetudinem, familiaritatem contraxeris: quo bono, ut pote primo amicitię glutino, ambo hactenus priuati fuimus, partim locorum interuallo, partim conditionum nostrarum ratione, ut puto, cogente. Sed ob id magis, qđ tuę mihi literę eruditiois, & humanitatis testes, indicesq; extitere, quandiu istud gratę notitię inter nos oblectamentum duravit: in his enim præter elegantiam, quam tibi propemodum peculiarem esse animaduerti, præterque omnia humanitatis, & amoris officia, perspicacis animi tui indefessa in rerum scitu dignarum perquisitione, solicitude deprehenditur: qua soles, quasi ignorans impatiens, adeo indies magis magisq; promouere, ut ex his quererere, & sciscitari non ducas erubescendum: quibus doctrina, tolerantiaq; studiorum, si non superior, certe non impar es. In quorum numero me cum primis statuo, tenuis eruditiois, & nulli consilij hominem: qui tamen cōplurā quæreris abs te perhumaniter fero, cum quod eo fine non facis, ut de meę ignorantię caligine hoc modo factus certior, ut mediocrem, aut fortassis in literarū iudicio proletarium abiicias & asperneris: tum etiam quod ingenua semper confessione, & citra verecundię ruborem, una dubitare, & hæreteme dicere soleo, si quando interrogatus rei minus quam deceat, & tua depositat eruditio, satisfacere potero. Nec cōmūnem inuestigandi laborem, quo simul & doctior & exercitatio eiusdam, adeo subterfugio: quin & gratificari libeat quærentibus, quod oscitant mihi plerunq; alacritatis & diligentię stimulos adhibeant. Id quod tu quoq; subinde facis, cui utinam aliquādo officio & sedulitate respondere videar. Velle tamē, ut quoties aliquid a me essem petiturus, id & simpli citer ageres, & breuibus. Volo equidem tibi esse persuasum, amicitię apud me pluris esse momenta, quam suauia ista tua tectoria verborum, quibus tu mihi nescio quid philautię conaris ingerere. Nā amplius quam par sit commendas, & adeo extollis, ut nisi tutum constas alioqui, & acre iudicium, amoris erga me tui onere vacillare viderem, ex illiberali quadam blanditarum ostentatione, hæc tua Encomia proficiisci suspicarer. Cæterum ut petenti tibi pro mea virili fiat satis, scias velim ea me responsorum conditione, ut proximis literis ex te, quid de sententia iudices nostra, & quid rerum sit apud vos nouarum, de literis præsentim, paucis intelligam. Quod de Quintiliano scribis, per quam probo, eum scriptorem adeo probari tibi, quem nemo hactenus (Ciceronem semper excipio) in tradendi exquisitissima diligentia, verborumq; luculenta quadam proprietate vicit. Bibliopolę nostri, qui Venetas codicum emendorum gratia petiere, significant mihi, institutioes suas castigatissimas imprimi ab Aldo Manutio Romano, cui hodie in edendis bonis scriptoribus palma datur: quamprimum ad nos exemplaria perferentur, faciam quod optas. De Plin. loco quod quæreris, paucis accipe. Pes Romanus, authore Vitruvio capite primo libri de Architectura tertij, sedecim digitis constat: cui si semipedem, hoc est digitos octo addideris, cubitum facis, id est sesquipedem, quod idem est. Palmus autem Græcis duplex est, maior duodecim digitorum, de quo in eo, de quo quæreris loco Plin. intelligit, illi nominant Spithamen: Minor, qui Palestes, & etiā Doros vocatur, digitorum tantum quatuor, suppresso pollice. De quo in hæc verba Vitruvius: Cubitum intellexerunt ei sex palmis constare, digitis vigintiquatuor &c. diuisis enim vigintiquatuor per senarium proueniunt quatuor, ut nosti. Idem paulo infra ait: Palmus autem habet quatuor digitos. Maior igitur Palmus dodrans nominatur Plinio, non seorsum quidem, cum istud nomen sine respectu dici nequeat, sed ad pedem respiciendo, qui authore Vitruvio ex palmo crevit. Dodrans autem cum in pondere, tum in mensura, totum dicitur propositum, dempto quadrante, ut duodenarij numeri nouenarius dodrans est, eo quod quarta pars, id est ternarius desit: hæc autem numerorum collatio secundum Mathematicorum traditionem, proportionem facit, quam sesquiertiam vocant. Nouem itaq; vncię in respectu ad assem, qui vncijs duodecim constat, dodrātem faciunt, quę ad assem proportionem sesquiertię habent: duodecim enim nouem continent in se, & tertiam nouenarij partem, vnde recte sesquiertia dicitur. Simili modo palmus, quod duodecim digitos, id est tres pedis quadrantes continent, ad pedis mensuram collatus, pari proportione dodrans est: ita enim sese habet istorum numerorum facta collatio. Ne autem quispiā apud Plin. palnum minorem intelligeret, dixit expressius, ternas Spithamas, id est ternos dodrantes non exceedere: quid Spithama sit, per pulchre indicans, per hoc quod dodrantem appellauit: quacunq; ergo longitudine proposita (vt illa exactius capias) si eam in sedecim partes æquales absumperis,

Agricola laus.

Locus Plinii

Proportiones
sesquiertia.

IOACHIMI VADIANI

duo decim partes respectu totius dodrans erunt: aut si in duodecim portiones distinxeris, notiem dodrantem constituent. Simile est & in alijs numeris, qui quaternario diuisi in æquas partes secernuntur, vt. xvij. dodrans sunt respectu. xxiiij. Item. xxx. ad. xl. collata &c. Sume in manum mi Rudolphe, gratia exempli, bacillum quempiam, eiusque totam longitudinem ita coerce, vt ad numerum vigintiquatuor digitorum transuerso pollice, vt hodie solemus, metiendo excuriat: & proportione cubitum statues in extremo eius digito, in fine decimosextri digiti pedem signabis, in duodecimo autem Spithamam: cernesq; oculis tuis, cur dodrans ad pedis proportionem dicatur, & quomodo palmum faciat; & intelliges clarius in eodem libro locum Plin. alium. Capite enim decimo.

*Alius Plinius
locus.*

sexto de Gabbara scribens, Claudi principis temporibus ex Arabia aduecto, longitudinis eū fuisse nouem pedum, & totidem vnciarum ait: ubi per vnciam duodecimam partem totius longitudinis, que pedi respondet, intellectissime videtur: tali enim vncię pes pro asse est. Quando enim, gratia exempli, xvij. digitorum longitudinem in partes æquales. xij. discerno, quælibet harū vncia, id est pars duodecima ad datam longitudinem, erit: quanquam audierim, qui per vnciam digitum ibidem intelligendū esse putarint: quod si ita esset, non vnciā, sed digitū Plinius scripsisset: in vncia autem digitus intelligitur, & tertia eius pars, hoc est triēs, quod idē est, siue quatuor partes digiti. Porro aliud est dicere, quartā partē digiti: aliud, quatuor partes digiti; hec enim tertia partem totius, hoc est assis digiti faciūt, hoc est trientē constituunt, illa tñi quadrantem. Hāc vnciam etiam pollicē erudit dixere, medium inter digitum & palmum. Boëtius certe cum Plin. vnciam vocat, vt ex. xvij. digitis pollices. xij. ex. viii. autem. vi. pollices, id est semissis pedis, siue alio nomine sex vncię constituantur. Id quod numeris citius deprehensem, mensura, & longitudine proposita facilius intelligitur. At de hoc equidem nil temere asseruerim, cum eo modo nouem vncias etiam Dodrantem appellare potuerit, id est duodecim digitos proportione ad palmum. In utroq; autem hæc vocabula demonstrationis locum habent, sicut communia sunt Plin. quantitatī & continuę, & numeris secretæ. Pygmæi ergo, vt ad institutum reuertamur, quos Augustin. capi. octauo, libr. vi. Civit. dei. Græcis a cubito, quemadmodum Eustathius, nomē obtinuisse ait, Spithamæi, id est palmares, ob miram eorum breuitatem, tres dodrantes non excedunt. Græcis certe πυγμαῖον cubitus dicitur. Horum illustres scriptores persæpe meminerunt, quadam tamen situs diversitate. Nam cum eos inter Indię gentes Plinius censeat, Pomponius lib. iij. in ea ponit Arabię parte, que ultra sinum Arabitum in Aethiopiam vergit. Strabo libro decimo septimo, in ijsdem locis fuisse creditos quidem, sed conflictos existimat: hinc occasione fictionis ducta, quod in interiori Aethiopia, qua extima eius terrę inhabitari videbantur, omnia fere animalia exigua prouenire compertum sit. Contra vero Philostratus, qui lib. iij. ait, Pygmæos sub terra degētes, supra Gangen posita loca incolere, & vivere non vanum esse. Cui cum Aristot. in eo quod specus habitari ab eis ait, cōuenit. Albertus lib. de animalibus. xxi. esse & vivere eos quidem, humanę tamen rationis exactū vsum habere negat: Eamq; ob rē cap. iij. lib. i. eos homines sylvestres nominat, aliquid nostrę naturę habentes in quadam, vt ait, deliberatione: & ca. iiiij. iij. tractat. i. lib. Simiā & Pygmæū hominis similitudinē habere inquit. Plin. ca. xi. iij. & Solinus in Thracię descriptiōe ad Geraniām vrbē iuxta Hæmū, & Strymonem Pygmæos creditos fuisse, Catizos barbaris dictos, & a gruibus pulsos ait. Nostri quam eleganter de ipsis Iuuēn. & Gel. scribant. Volui hæc tanquam coronidē, quo magis tibi gratificarer, alijs que quæsiuisti subiungere, vt meam in rebus ad te pertinentibus sedulitatem, perinde atque in proprijs promptam intelligeres. Miror vero vnde meorū tibi studiorum ratio pateat, aut quod nunc me Persiū interpretatum fuisse acceperis, qui tam festinanter, & quasi aliud agēs, studiosis nonnullis id vt praestarem postulantibus, tam paruum Satyrarū opus transcurrerim. Cuius Satyri primę loco eodem, quem tu mihi nominas, me aliquando non parum tortum esse fateor, liberatum autem angustia felici euentu, ceu deo quodam (vt aiunt) subito apparente. Nam anno ab hinc quarto, cum ego, & Petreius meus Aperbacchus, magni ingenij, & plurimę lectiōis homo, bibliothecam fratrum prædicatorum Viennę bonorum librorum innumera multitudine confertā, essemus ingressi, dum poētas diligentius executio, incido in Persiū codiculū per quam vetustum, cūq; loci qui me premebat maxime, memor essem, cœpi reuoluere Satyram primam, & carnē illud reperio in hæc verba: Sic os tam longo subduximus Apennino. Quo viso, perinde quasi Babylonas ceperim, exultans Petreium aduoco, qui vna mecum syncero iudicio adhibito, tam castigatā lectionem non potuit non probare. Nam & versus hac ratiōē mollior, leniorque efficitur, qui alioqui ob. c. literam ingeminatam asperior erat: Sic costa longo, quemadmodum multi legunt: & interrupti montis pars saxosa ossis nomine signatus, quam costę dici videbatur: quanquam & Apennini pars costae nomine non inepte dicitur, propterea quod ipse in modum spinæ totam Italiā medius dorso suo dirimit. Quod si quis (si costam) legit, sensus carminis, quasi ad sequentia pertinens suspenditur, quod esse nequit. Doctissimos autem Persiū interpretes, quo minus illi loco iudiciū adhibuerint, eo ipso prohibitos existimo, quod corruptæ lectiōis dictio ad sensum fecit, pariter cum hoc vocabulo os, cum costa sit os. Hoc ergo modo præterierunt, quod alioqui diligentius introspectienti non obscurum esse debebat. Versum autem illum depromptum existimo ex aliquo de Hannibalis per alpes transitu, poēmate, in quo Pœnus quispiam historię enarrator introductus, finemq; loquendi facturus, sic finiat: Sic os tam longo subduximus Apennino, id est & hoc quidem modo,

præcipites

*Petreius A/
perbacchus.*

1 monem Pygmæos creditos fuisse, Catizos barbaris dictos, & a gruibus pulsos ait. Nostri quam eleganter de ipsis Iuuēn. & Gel. scribant. Volui hæc tanquam coronidē, quo magis tibi gratificarer, alijs que quæsiuisti subiungere, vt meam in rebus ad te pertinentibus sedulitatem, perinde atque in proprijs promptam intelligeres. Miror vero vnde meorū tibi studiorum ratio pateat, aut quod nunc me Persiū interpretatum fuisse acceperis, qui tam festinanter, & quasi aliud agēs, studiosis nonnullis id vt praestarem postulantibus, tam paruum Satyrarū opus transcurrerim. Cuius Satyri primę loco eodem, quem tu mihi nominas, me aliquando non parum tortum esse fateor, liberatum autem angustia felici euentu, ceu deo quodam (vt aiunt) subito apparente. Nam anno ab hinc quarto, cum ego, & Petreius meus Aperbacchus, magni ingenij, & plurimę lectiōis homo, bibliothecam fratrum prædicatorum Viennę bonorum librorum innumera multitudine confertā, essemus ingressi, dum poētas diligentius executio, incido in Persiū codiculū per quam vetustum, cūq; loci qui me premebat maxime, memor essem, cœpi reuoluere Satyram primam, & carnē illud reperio in hæc verba: Sic os tam longo subduximus Apennino. Quo viso, perinde quasi Babylonas ceperim, exultans Petreium aduoco, qui vna mecum syncero iudicio adhibito, tam castigatā lectionem non potuit non probare. Nam & versus hac ratiōē mollior, leniorque efficitur, qui alioqui ob. c. literam ingeminatam asperior erat: Sic costa longo, quemadmodum multi legunt: & interrupti montis pars saxosa ossis nomine signatus, quam costę dici videbatur: quanquam & Apennini pars costae nomine non inepte dicitur, propterea quod ipse in modum spinæ totam Italiā medius dorso suo dirimit. Quod si quis (si costam) legit, sensus carminis, quasi ad sequentia pertinens suspenditur, quod esse nequit. Doctissimos autem Persiū interpretes, quo minus illi loco iudiciū adhibuerint, eo ipso prohibitos existimo, quod corruptæ lectiōis dictio ad sensum fecit, pariter cum hoc vocabulo os, cum costa sit os. Hoc ergo modo præterierunt, quod alioqui diligentius introspectienti non obscurum esse debebat. Versum autem illum depromptum existimo ex aliquo de Hannibalis per alpes transitu, poēmate, in quo Pœnus quispiam historię enarrator introductus, finemq; loquendi facturus, sic finiat: Sic os tam longo subduximus Apennino, id est & hoc quidem modo,

AD RVD. AGRICOLAM EPISTOLA.

præcipites alpium rupes, & victa flamarum impetu iuga confregimus, viamq; fecimus &c. quo modo factum esse indicat Liuius Decad. tertie libr.i. Præterea non placet, omnino videri eos a Persio per eius versus exemplum reprehendi, qui regione quinta spondo pro dactylo vtantur: qd ipsum maxime aliquando addecet, vt in illo Maronis: Cornua velatarum obuertimus antennarū. Sed hoc potius a Satyro notatum fuisse, quod hæc sibi temere nimis metaphora usurpata visa est, vt os pro rupi, saxoue dixerit, cum scribere potuisset: Sic iuga præcelsi confregimus Apœnini, vel similiter. Siue, quod est verius, quod Apœnimum nominauerit, cum reuera Hannibal non Apœni num, sed alpium Poenarum, vel Poeninarum infregerit igni, & aceto iuga tam alta, vt authore Lilio, nono primum die difficulti itinere ad ea peruentum sit, a quarum orientali latere Apœninus incipit. Seu certe quod illi fabulosam historiam sectati, Græcorum more mollia quædam & elumbia redderent, grauioribus interim, & magis frugiferis omissis. Tametsi nō multi damni, nec adeo magna frugis sit, vtrum defendaris, nisi quod hoc mihi vero similius videtur. Nā & Ouid. dixit: Magna parés terra est, lapides in corpore terre Ossa reor dici &c. Hoc ausim asserere, vocabulū Apœninus, carmen nec elegans, nec politum cōstituere, nisi aut prima, aut penultima hexametri regio ne locetur. Hinc & Lucan. libro secundo: Vmbrosis medium qua collibus Apœninus. Ouidius libro metamor. secundo: Aëri æque alpes, & nubifer Apœninus. & Silius libr. iiiij. Piniferum cœlo miscaens caput Apœninus. Quod si hoc in tam claris scriptoribus commode factum videmus, cur vt indecenter usurpatum Persius culpet, tu vide Rudolphe, & iudica: ego ad te quid ipse sentia in scribo, qui locum istum Persianum ita curasse video, vt nec splenio, nec malagmate amplius fouendus sit, sed cicatrice etiam abolita plane conualuerit.

De Antipodibus quod scribis, non est tam difficile, quam videri potest diuersos scriptores legenti, quorum saepe diuersa, saepe pugnante tradizione contingere solet, vt legentis animus, dum quid sequendum sit, diligentius inuestigat, adeo distractatur, vt quo tendendum, aut quæ demum ansa apprehendenda sit penitus ignoret. Primū omnium Antipodas esse indubium est, mathematicis id ipsum demonstrationibus, & Cosmographorū diligenti observatione evidentissime indicantibus. Scribam de ea re complūcula in commentarijs meis in Pomp. Melam, quos vbi commodius ocium dabitur, vt studiosis aliquot adolescentibus sum pollicitus, conscribam. Interim autem, ne vel ab Augustino diuertas negante, vel Lactantio fidem præbeas somnianti, qui sint Antipodes, & quomodo sint, paucis accipe. Scire te arbitror, Mathematicē peritos vniuersum circuli ambitum, partibus trecentis sexaginta, quos ipsi gradus appellant, metiri, & absoluere solere: ex quibus nonaginta tribuunt quadranti, centum & octoginta hemicyclo, vt est notum. Quum ergo tota terre habitat̄ moles contemplanti tibi in animum venit, cum sit rotunda, vt non Mathematicis solum, sed etiam Physicis placet, eam ipsam sic concipito, vt quasi cespes ex amplissimo Oceano parte sui emineat, & una rotunditate fese, aquamq; simul, in qua partim latet, partim eminet, absoluat. Id quod nos tibi paulo post vberius ostendemus. Tum quatuor mundi communes cardines, id est ortum, occasum, meridiem, & septentrionē, ex Ptol. maxime traditione, quem nemo eius rei non fatetur principē, considerare te est opus. Postremo quantum latitudinis habitat̄ terre portioni respondeat, quantumq; longitudinis, in animo constitue re. Quo facto, constabit tibi, terre solidę in longitudinem excusum multo esse maiorem, quam in latitudinem. Longitudinis autem dimensio a meridiano proximo Gadibus, siue columnis Herculis, & Fortunatis insulis sumitur: ultra quem priscis nihil erat cognitū, gradibus ordine per æquinoctiale metentibus. Latitudinis autem ratio de polo in polum se extendit, si hemisphaeriu meum timur, medio æquinoctiali, siue a maximo parallelo, qui æquinoctialis est: ita vt æqua distinctio longitudinis a meridiano expresso in meridianum excedat, latitudinis autem a parallelo in parallelo, id quod in communibus tabularum descriptionibus perfacile est videre. Quia igitur ex Ptolemai descriptione, vt interim recentiorum diligentia expansę terrę spacium omittam, compertum est, ad centesimum & octuagesimum gradum, id est hemisphaerium longitudinem habitat̄, & continentis terre pertingere, & in extimis oris frequentem eis mortalium habitationē: negare id nemo poterit, quin tantum interuenientis spaci distantia siti. Antipodes sint, si modo ex descriptiōe Antipodum punctos diametri per centrum terrę ductę, & ad soliditatem habitat̄ terre terminat̄ attingant. Qui igitur in extima India ultra sinum magnum Catagaram habitant, cui. x. graduum ultra æquinoctiale in Austrum latitudo est, hi ducto ex eodem gradu diametro, que centrum terre transeat. Antipodas habent id est pedes sibi ex opposito loco controuertentes, verticesque a diametro traiectos, in sinu Hesperio: quorum latitudo. x. graduum citra æquinoctiale in Boream tendit ad occidentalem interioris Africę partem. Pro qua re vide Ptolemai communem situ terrae tabulam, & quod assero deprehendes. Secundum latitudinem autem, cum nec iuniorum, nec vetustiorum quispiam sub mundi verticibus habitationem compererit, Antipodes esse nequeunt, in uno scilicet hemisphaerio, cuius æqua dimensio ab æquinoctiali accepta in vtrumq; polum. xc graduum distantia extendatur, quemadmodum hic de ea intelligo: constat enim continentem terram vt dixi, intra polos in longitudinem ad hemisphaerium expandi, & ultra, ab æquinoctiali vero ad polos minime, dum vero hæc consideramus, opus est animum quasi in aërem suspensum, ceu omnia collustrantem, & metientem erigere. Demus ergo quod terra secundum latitudinem in Arctos ad gradus. lxxi, vel circiter excurrat (nolo enim in hoc tibi adamussum tradidisse, tanta præserti m

De Antipodibus.

Antipodes esse indubium est.

Terra que extat, longior est, quam sit lata.

IOACHIMI VADIANI

Causa angustiae terrae a lateribus coacte.

Lyranus.

Terra cum aqua rotundatur.

Terræ prominens.

Nota.

Terræ mutantur.

præsertim festinatione scribens) & iterum in Austrum ad gradus. l. nondum tamen Antipodas habebis, cum nondum habeas hemisphærium, quod punctis diametri per centrum terræ excurrētis, dixi, terminetur. Causam autem terræ angustię secundum latera, cum Alberto Germano maximo philosopho puto esse abundam aquę circa vertices mundi generationem, quę vtrinque terræ extanti incubit, magnoq; fluctuum impetu, quo minus lata sit, coēret: hinc & illorum laterum iniquitas etiā prouenit, cum orientalis oīa. & occidua multo rectiore ex cursu æquetur. Sed videri tibi posset ex his quę haec tenus scripsi, Antipodes secūdum latitudinē quoq; locum habere posse. Nam si a punctis diametri Antipodes secundū longitudinem sub æquatore constituentis, circunferentiam duxero, hæc ipsa per polos discurret, & hemisphærium cōpleteetur: hoc autem si marginibus longitudinis eminet, secundum latitudinem idē eminere necesse est: nisi quis dixerit aquas a polis in eminentis terræ portionem ascendere, & latera occupare, quod contra naturam motus aquę esset. Data igitur sub polis terra, datur & Antipodium secundum latitudinē distantia. Videri posset hoc Rudolphe, his qui terram ex aqua, tanquā clivum rotundum aliquem ex plano lacu, iulta parte sui prominere existimant: aut veluti pomum natans, ut prisci quidam putarūt, quomodo Nicolaus Lyranus in exponenda Mosis Genesī, proposita figura, sphæram terrę, & sphærę aquę ita innectit, ut partibus harum tantum connexis, consertisue, globum simul rotundum nō absoluant: Cum terra, ut Plinius, & multiplicia demonstrationum experimēta docent, & Georgius Peurbachius Germanus Mathematicę scientissimus, in suis super sphærā Ioannis de sacro busto, collectaneis scriptum reliquit, vna cum circumfluvis vndis globum absoluat, ut contemplati, & colligere animo sit opus, terram, quam naturę artifex animalibus, quę sine aëris communione viuere nequibant, aquis vacuam & discovertam reliquit, tanquam tenuem ex lacu paludeue cespitem eminere, vnaque cum vndis inflecti, inq; globi speciem, quatenus extat, inclinari. Cui sententię Strab. li. iij. a principio accedit in hæc verba: Subiectum ergo sit rotundum vna cum mari terram esse, vñaq; & eandem cum æquoribus superficiem habere. Vitru. quoq; libr. ix. Terram scribit in medio locatam, vna cum in mari centri loco naturaliter collocatam esse: ut probe intelligēdus sit Plin. locus capit. lxvij. libr. secundi, vbi in hæc verba habet: Est igitur in toto suo globo tellus medio ambitu præcincta circumfluo mari, nec argumentis hoc inuestigandum, sed iam experimentis cognitum. Sicut & illud Cic. libr. de natura Deorum. ij. vbi inquit: Eademq; ratione mare cum supra terram sit, medium tamen terrę locum expetens, congregatur vndique æqualiter, neq; redūdat vñquam, neque effunditur. Nam error esset non parvus, si quis telluris dimidium ex aqua vndique prominere dicere aut Plin. aut Cic. existimaret, qui per medium ambitum excursionem eius, in clxxx. gradus minimum secundum longitudinem, intelligunt, quod Ptole. quoque indicat verissimum esse: aut certe medium terrę locum intelligunt, quod ea ex medijs vndis promineat. Ex quo illud consequens est, non idem esse centrum magnitudinis terrę, & centrum grauitatis. Cum vero, ut dixi antea, vndarum grandior esset a polis impetus, propterea q; ob aëris in his locis vehementem ex frigore inspissationem perpetua esset, & abundans aquę generatio, ut Albertus, quod dixi, indicat, non potuit tantum spaciū secundum latitudinem relinquere terrę, quantum longitudinis habet. Nec sequitur, circumferentiam ab Antipodium vestigijs ductam circum circa terram contingere debere, si uno in loco attingit, ex causis iam dictis. Latitudinis autem & longitudinis mensura certo & immutabili limite in terræ forma præscribi non potest, propterea quod Oceani rapina (ut Plin. ait) in incerto est, terras dans & adimens, viciisitudine illa rerum naturę sempiternis legibus instituta: quod ipsum multis ostendit Pompo. libr. i. in Africę descriptione, & Aristot. libr. Meteo. ij. cap. vi. in hæc verba: Non semper eadem loca terrę aquosa sunt, aut arida, sed permutantur secundum fluuiorum generationes & defectus: & non semper hoc quidem mare, hoc autē terra perseverat: sed fit, ut sit mare vbi est arida, vbi autem nunc mare, iterum hic terra &c. Ex recentiorum autem inquisitione, si Americam a Vespuccio repartam, & eam Eoę terrę partem, quę terrae a Ptolemaeo cognitę adiecta est, ad longitudinis habitatę rationem referimus, longe ultra hemisphærium habitari terram constat: Imo non vñq; adeo immensum pelagus interesse inter extimum ab America occidens & oriens Ptol. postremum, quin fere toto globi ambitu terra habitationis frequentia culta sit, quod ex Gæographicę descriptionis globulo per pulchre dinoscit potest. Sed sunt qui huiusmodi demonstrationibus minus fidei adhibeant, ut hi solent, qui suum agelum nunquam egressi, totum orbem angustae sepiς ambitu circumscribunt, docti nihilominus, ut sibi videntur, & magnae naturae conscijs. At nesciunt quantum eorum animos fallax philautiæ leuitas obfascinet. Nam mirari non adeo debemus, quod aut plana obambulantibus nobis, aut exasperata montibus pleraque videntur: cum ingentis aquae, terraeque mutua compagine globum constituentium extrema superficies, siue circumferentia, sensu apprehendente declivis esse nequeat, visu præsertim nostro tam exiguum eius partem apprehendente, quoconque se conuertet. Nec putemus montium iniquitatem terræ rotunditati obesse, qui adeo nobis videntur esse sublimes, utpote vastum illum ambitum simul non contuentibus, quasi vero omnia quę ad rotundi huius corporis rationem pertinent, hoc modo defendi nequeant. Si enim totam terram simul conspiceres quoad licet Rudolphi, quemadmodum Scipionem in somnio conspexisse Cicero singit, montes tibi turbecula quædam leuia per terræ planitiem serpentia viderentur, eo fere modo, quo agrum quempia suscitati.

AD RVD. AGRICOLAM EPISTOLA.

suscitati à fodientibus talpis harenarum cumuli exasperant. Quod si planam in primis terram im-
ginaris, & deinde ab illo rerum creatore, cuius omnia opera rationem habent, montes superimpo-
fitos planicie consyderas, intelliges facile, quomodo se terra rotunditas studiosis cognoscendam
exhibeat. Ridiculum vero est contendere, terram vnde tam esse æquabiliter politam, vt ad un-
guem respondeat, vel ad tornum, seu Geometræ mensuram, vt inquit Strabo, cū ad sensum cor-
respondeat, & hoc modo crassorem. Hoc retinendum est potius, hanc rotunditatem, quam ex
terra naturæ leges in prima elementorum ex Chao segregatione postularunt, eam esse quæ montis
um tumore non offendatur. Sed vt ad Antipodes reuertamur, proponam tibi Axiomata qua-
dam, & receptæ veritatis dogmata, vt omnia tibi plus esse queant in aperto, quæ me aliquando
summa cum animi oblectatione didicisse ingenue fateor ex Georgio Collimitio medico ac mathe-
matico, præceptore mihi cū honoris præfatione nominando: non in his modo, quæ ad terræ scri-
tinum, sed & in illis quæ ad salubrem medicinam, aliisque pleraque dignæ scitu pertinent. Ac nescio
an alius quispiam adeo facile, adeoque consummata tradendi ratione studiosis faciat satis. In eo
ego tria esse dicere frequenter soleo, quæ non vulgare sit passim conspicere, in his etiam qui & sibi,
& alijs placent, summam fidem & integritatem, eruditionem singularem, & minime tamen insolu-
lentem, nec ostentosam, humanitatem summam. Quorum nexus factum est, vt veneretur indies ve-
hementius ab his, qui verorum studiorum rationem sectantur. Quādoquidem neminem ipse exclu-
dit eorum, qui non fucum ostentant, sed momenta diligunt rerum, sinceri & amicitia digni quæ quo-
rum album postquam me retulit, nunquam desij eum præceptoris nomine dignari. At ipse, quod
sua est humanitas & conphilosophum me suum, & quod nunquam admisi fratrem dicere assolet:
quem tu cum Viennam veneris, & nosces libenter, vt virum modestum, & auidissimum studiosorum,
& subinde aliarum etiam, quæ in eo insignes sunt virtutum gratia veneraberis. Hic mihi, sicut
solet, quærenti, vt memoria teneo, de Antipodum situ ferè in hanc sententiam retulit: Vnum pa-
rallelum tantum esse, sub cuius ipsius positione Antipodes darentur oppositis vestigis, Equino-
ctiale scilicet, à cuius quolibet intersecante meridiano diameter ducta per centrum, in eundem
meridianum & parallelum contrario hemisphærij punto transcenderet. Rursum nullum paralle-
lum ab æquatore recedentem hoc posse, propterea quod per nullum diameter quæ centrum trai-
ciat, traduci possit. Ex hoc autem istud evidens sequi aiebat, quod nullorum Antipodum, qui sub
æquatore non sint, possit esse conformis, hoc est in eandem partem inclinans latitudo. Causa eius
est, quod diameter ex certo punto paralleli septentrionalis per centrum ducta, necessario in pa-
rallelum incidit, habentem latitudinem Australem, æquabili cum opposito distantia. Sicut Anti-
podes paralleli quindecimi gradus latitudinis Borealis his esse possunt, qui parallelo quindecim
graduum latitudinis Australis subditi sunt: quemadmodum hi, qui extimam Indiam ultra Gangē
ad gradus. clxxx. longitudinis habitant, illis qui ultra sinum Hesperium Ptole. in extremam Ae-
thiopiam vergunt, ad sumptę longitudinis initium. Præterea sic referebat, Omni punto in terra
dato correspondere ei punctum Antipodum: quod si in terram excurrat habitatam, Antipodes
habere aiebat: si in mare, vt plurimū contingit, habere posse, propterea quod inter huiusmodi pun-
cta hemisphærij distantia est: vt nauium etiam gubernatores reuera in tali distantia, eorum qui in
terra loco contraposito agerent, Antipodes essent, quod mihi solerti observationis, scitique ad-
modum dignum videbatur. Rursus idem mihi ostendebat, quod latitudine proprie accepta, quæ ad
mensuram parallelorum per polos transcurrat, omnes isti qui Antipodes secundum longitudinem
sint, etiam secundum latitudinem esse, eo quod diameter oppositos eos constituens, & longitudinis
in ipsis, & latitudinis regulam præscriberet. Quod ita esse demonstratio indicat, nec his quæ supra
retuli, id contrauenit: illic enim id tibi ostendere volui, quod nullo interueniente mari per unius he-
misphærij longitudinem in solida terra Antipodes essent: qui tamen secundum latitudinem ab
æquinoctiali in polos ductam esse non possint. In uniuersum igitur dici potest in hæc verba: Da-
tis terra accolis, quorum vestigia diameter per centrum trajecta contingat, Antipodes illos esse,
nullo habito aut ad longitudinem, aut ad latitudinem respectu. Nam hoc modo esse eos certum est.
Quod tibi diligenter est perpendendum. Præterea contra vulgatam opinionem scriptorum, An-
tipodibus omnia contrario modo evenire existimantur, notissimum est, sub æquinoctiali, præ-
terquam quod contrarijs vicibus diem & noctem habent, vt ubique omnia paria esse, hoc est ean-
dem noctis, & diei quantitatem habere, simul æstatem, simul suo modo hyemem, & id genus alia.
Causa in promptu est, quod sub hoc circulo locatis, una est perpetua diei noctisq; æqualitas: cùm-
que eandem habeant ad Solem, ubi cunque sit, locationem: sequitur quod & tempora anni simul ha-
beat. Et alijs existimo te intelligere, quod sub omni parallello sitis Periœcis omnia simul accidunt,
excepta diei noctisque successione, ita vt simul hyemem, simulque æstatem habeant. De Periœcis
tamen, qui polis viciniores diem noctemque simul habere possunt, scribam diligentius in commen-
tarijs meis in Pomponium. Quod si quibus unus est meridianus, his eodem momento, & unu[m] me-
ridiem, & medium noctis esse necesse est: sicut hi quibus est parallelus unus, eandem habent noctis,
& diei quantitatem, simulque singula anni temporas sustinent. De Antipodibus vero ab æquino-
ctiali vergentibus sic habeto, vt quanto plus ab æquatore recesserint, tanto magis eis inæqua-
lia esse omnia, fierique ordine contrario ipsis, quæcunque fiunt, existimes: potest enim hoc de-
monstrari,

Georgij Col-
limity laus.

Not. 4.

Not. 5.

Not. 6.

Antipodus
unus hori/
zō, et meri-
dianus.

An sub æqua-
tore habita/
tio sit.

Latitudo de
prehensu fa-
ciliis.

Ioannes Picus

Contra La-
ctantium.

monstrari. Postremo, omnibus qui sunt Antipodes, unus est horizon, & meridianus unus. Intelligo autem meridianum círculum, qui per Zenith nostrum, pérque polos transcurrent totam sphærā amplectitur: causam eius ex his quę paulo anteretulimus, haud ægre accipis. Cum ergo Sol nobis oritur, ipsis occidit, & ē regione: neque hoc aut admirabile videri debet, aut captu difficile: cum ipsis ortus, occasusque in respectu ad situm partium mundi, eodem modo quo nobis euéniant, nis- si quod occidentia nobis sydera ipsis ascendunt, adueniuntque, sicut & ipsis cadentia in nostrum hemisphæriū leuantur. Negare vero hæc, & vt fruola contemnere, animi est degeneris, eaque quę in naturę rerum maiestate cogniti sunt pulcherrima, accipere, & intelligere respuētis. Sed dicere posse, te his intellectis adhuc in uno hærere, quod ex antiquorum sententia non videatur commodum dicere, sub æquatore esse habitationem, ob ingentem & intolerabilem vitali tempe- ramento calorem, cuius tamen oppositum ego asseram. Respondeo tibi, si modo dubitas, priscos quotquot sunt, qui sub æquatore habitationem esse negant, opinione potius, quam aut experien- tia, aut efficaci aliqua ratione ductos, lapsos esse, & sibimetipsis etiam nescijs aliquando contra- uenisse. Lege Pomponium qui libro primo Zonam medianam ob æstum inhabitabilem ait: tertio ve- so libr. Taprobanen habitari scribit. Plin. quoque capite septuaḡ simo secundi, Cœlum ait tres mortalibus terrę partes abstulisse, septentrionem, & austriam frigore, medium autem qua Solis orbita est, exustam flammis, & ob id inhabitabilem: & tamen idem, quemadmodum & Pompon. Taprobanen frequentissimam hominibus esse capite vigesimo secundo libri sexti afferuit: id quod & Solius simia Pliniana multis verbis confirmat. Addit Plinius capite secundo libri septimi, ex Artemidori sententia, in Taprobanā insula longissimam vitam sine ullo corporis languore traduci. Multum illi alisque idem sentientes a se dissensere Rudolphe, cum sit compertissimum, si Ptole. credimus, Taprobanen ita æquinoctiali subditam, vt latitudine ferè trium graduum eun- dem transcendent, in Austrum porrecta. Quod is princeps Cosmographiæ Ptole. Et libro septimo, & tabula Asie ultima ostendit: nec dubitari quidem de hoc debet, cum in latitudinis descriptio- ne errari non possit, adeo eius obseruatio canonicas demonstrationibus constat. Utinam tam fa- cilis longitudinis obseruatio esse posset, quam latitudinis est: in multis enim viri docti non hære- rent. Videntur ergo mihi plerique ex vetustis scriptoribus, quod ad situm terrę attinebat, qua- tenus ad cœli círculos refertur, plura pro ingenis differentium, quam pro veritatis fide tradidisse. Albertus Magnus Germanus princeps philosophus, & Aquicenna noster, non affirmant solū, sed certe demonstrare videntur, sub æquinoctiali, eo etiam tempore quo Sol per subitus habitantia um vertices gradit, temperatiorem habitationem esse, quam sub parallelis tropicis, cum ipsis Sol innititur: & constat tamen sub utroque tropico frequentem esse mortalium sedem. Lege Au- cennam capite octavo doctrinę secundę, sectionis secundę primi Canonis: Albertum autem sex- to capite libr. de natura locorum, quem Collimitius noster nuper in lucem dedit. Nam ob rem at- tente perpendicularē est, an non nimis temere Ioannes Picus, vir alioqui eruditissimus, & acer- amī ingenij disputator, qui inter nongentas propositiones, quas adolescens Romæ publice pro- scripsit, hanc quoque defendere voluerit, quod sub æquinoctiali non posset esse naturalis viuē- tibus habitatio: cum contrarium tanti adeoque idonei vero scriptores afferant: quanquam con- siveuerent, qui disputatione incerta, falsaque plerunque veritatis iuuandę gratia discutienda propone- re. Mirum est profecto, ipsum quoq; Macrobiū dicere fuisse ausum, commentario Somniū secun- do, propter Zonam exustum Antœcis nostris ad nos transitum esse non posse: cum tamen ex rece- ptis authoribus, qui longe ante sua tempora scripserant, diicere debuisset, nostros peregrinationis bus varijs ad intimos vsq; Aethiopas intrasse, imo & totam Africam circumnauigasse, vt Hanno- nem Carthaginem authore Plin. Quin & Eudoxus quidam, cum Lathyrum Alexandrię regē profugeret, Arabico sinu egressus per hoc pelagus Gades vsque peruectus est: quod ex Corn. Ne- potis autoritate, Plin. scribit capi. lxix. iij. & libr. iiij. Pompeo. Multo vero ante Nepotem Cœlius Antipater scriptum reliquit, vidisse se qui nauigasset ex Hispania in Aethiopiam commercij gra- tia. Quam nauigationem hodie Portugallię reges summa gloria, & euentu incredibili instaura- runt, multis maximisque cum in occiduo, tum Austrino pelago insulis repertis, quorum interces- pta memoria erat. In extimis autem Africę Antœcos esse nostri climatis quis dubitat? quod si no- stri ad illos venire, quid oberat quo minus & illi ad nos venire potuissent, quemadmodum nostris temporibus fieri videmus? In summa, vt de hac tua quæstione finem faciam, tam esse certum debet Antipodas esse, quam sunt cogniti tibi digitique vnguēsque tui. Inque ea re his fidem dabis, qui in terrę situ atque ex cursu cognoscendo recentius laborarunt. Quandoquidem (vt Ptole. cap. v. libr. i. Cosmographiæ scribit) in situs terrę traditione recentioribus historijs semper magis cre- dendum, quam ullis veteribus: eo quod pro rerum mutatione, aut incognita prioribus, aut vite- riō experientia deprehensa his patefacere datum est. Bene (ais) mihi narras. At de Augu- stino & Lactantio quid? aut quam in partem eorum accipienda sententia est? rei sc̄iesne quę scri- bunt Vadiane, an probabis? Si in his peritas, quę copiose attulisti in mediū hactenus, probare cer- te non poteris. Si probas, nulla illa erunt, quae ita esse tibi maxime visa sunt. Tua res iam agitur, vide quid agas. Ego mi Rudolphe (vt hæsitantem te ex hac tandem Charybdi liberem) vt Au- gustini de Antipodibus sententiam probo, ita Lactantij somnia nequaquam aut tueri, aut afferere possum,

AD RVD. A GRICOLAM EPISTOLA.

possim. Ille certe cur negaret, causam habuit: hic quid negaret, nesciuit: quod ut intelligas, iterum
 milii quasi in noua causa ordiendum est: quod si nimium turgescere literę illę nostrę videbuntur, tibi qui me provocare nō desinis, culpam tribue. Si scire hęc vberius adeo desyderas, patere vel ex
 epistolā fieri libellū epistolarē. Nam me tibi satisfaciendi quasi vno in stadio, & vno curriculo cu-
 pido quędam corripuit. Nunc ad rē. Augustinus non à veritate, sed ab incerta, & vero nequaquā
 consentanea veterū aliquot scriptorū de Antipodibus traditiōe abhorruit. Quā quia illustris alio-
 qui, & multarū rerū scientissimus scriptor Macrobius in cōmētario Somnij. iij. quasi de reperta ve-
 ritate sibi ipsi applaudens, sequitur & affirmat, videndū tibi est, ne eius lectione seducaris. Nam li-
 cet Antipodas admittat, in ratione tamen, & (vt ita dicam) modo ponēdi, toto (quod aiunt) obser-
 rat cōcelo: neq; hoc in illo adeo moleste ferendum est, cum vulgarē opinionē secutum, cum antiquo-
 tibus cītra veri deprehensionē periclitari eum contigerit. Voluerunt autē illi, terrę molem in duo
 hemisphæria interceptā, ingenti pelago & innavigabili discerni, ita vt vnius aliquid ad alterū ni-
 hil perueniret, inque altero nos esse, in altero à nobis lōge secluso Antipodas nostros & Pericēcos.
 Et quemadmodum hoc nostrum, torrida Zona interueniente, in duas habitabiles distingueretur,
 extremis ob frigora relictis, ita simili modo apud illos omnia se habere dixerunt. Quod ex Cic. du-
 etū, Macrobius euidentissime indicat. Quo concessō sequi necesse erat, vt duabus amplissimo
 mari distātibus terris, duplex esset hominū in ijsdē, qui ad se inuicē nunq; permearint, propagatio.
 Quod perpēdens Augustinus, cum in lib. Ciuitatis dei, xvi. cap. viij. omnes homines terā inhabi-
 tates, quacunq; forma eos natura effigiauerit. & illo protoplasto vno, hoc est Adam originē duces
 re affirmasset: sequenti cap. ix. falsam illam, & friuolā de Antipodū situ opinionem, quę sibi vnicē
 obīscī poterat, necessario non minus, q̄ vere reiecit, & confutauit. Si enim isti essent eo modo, quo
 illi eos esse crediderunt, cum ad eos nemo vñquam nostri hemisphærii attigerit, ex Adam origi-
 nem habere nequaquā potuissent. Eā ob rem perquā prouide & erudite scripsisse Augustiniū nemo
 negare debet, cum eo modo nenos quidem Antipodas esse permittamus. Tantus enim error non
 modo veritati historię naturę, verumetiam religioni nostrę, & sacrarum literarum authoritati re-
 fragatur: quem illi nulla prorsus historica cognitione firmantes, friuola quadam coniectura assum-
 psere. Quod si quis adeo magno ecclesię nostrę Antistiti, adeo omnium bonarum doctrinarum aui-
 do & studio, terram esse continuam monstrasset, nec ullo interceptani, vt isti fabulabantur, Ocea-
 no, in qua hominū esset habitatio. clxxx. gradibus expansa, & sibi diametro centrū traiacente op-
 posita, hinc etiam atq; illinc nullo mari trajecto commercij mutui consuetudine coire sine difficul-
 tate posse: non hercle Augustinus, Mathematicę alioqui studiosissimus, Antipodas negasset, sed
 demonstrationibus ē certissima scientiarum de promptis adhibuisse fidem, antiquorum logis ani-
 libus reiectis, quos vir tantus, fide haud quaquā dignos esse nouerat. Cū enī hodie continuę terrę
 longitudo ultra. cclxxx. gradum ex currat, vbi illud ingens tandem mare erit, quod ista duo hemi-
 sphæria dirimat? cū terra nostra vtrinq; adeo ultra hemisphærii amplitudinē pandatur. Imo, vt
 supra retuli parum absit America præsertim adnumerata, quin totus ille globus cīc uncircā pro-
 minente terra sit habitabilis. Quo fit, vt his minus adhibeam fidē, qui sub polis terrā extare di-
 xerunt: cum is locus iam aquę, vt pote elemento longe spacioſiori deberi videatur, & natura fortis-
 se postquā terrę portione nudata, multis animaliū suum dedit locum, aquam coērcens, intrāque su-
 os excursus cohicens, in ea globi parte locum deputauit ampliorem, quę ob aēris incōmoditatē,
 & grauissimā anni tempora, quę nullam, aut tardam vicissitudinem admittant, mortalibus mini-
 me idonea videbatur, qualē sub polis esse certo scitur. Quod autē inter Antipodum latera terra
 intersit, Geographię tyrunculi sciunt. Egredere ab extrema Hispania per Pyrenęos, pérq; Gallias,
 Germaniamq; & Sarmatiam, vsq; ad Tanaim: eo superato, tende in Ortum, per Seythianā ci-
 tra Imaum, & stringelittus septentrionale Caspij. Tum per Sacarum regionem traiectis Tauri lu-
 gis in Indiam inclina eam, quę est ultra Gangem: cūmq; ad sinum magnū longis itineribus perue-
 nisi, secundū eum in meridiem proficisci, donec ad Catagaram peruenias: & toto ferē isto latetē
 Ptol. mōstrante Antipodas habes: nō eorū quidē qui sunt in Hispania, sed qui in occidua Africa
 iuxta sinum Hesperiū adhabitāt: ad quos, quātū est in terrę nuditate, nullo penitus mari trajecto,
 ex India extrema perueniri potest: Americam autē inhabitantes longe citerioribus locis suos ha-
 bent Antipodas: quę omnia instrumētis ad eā rē pertinētibus cognoscere facillimū est. Macro-
 bius Cic. quasi gratias agens, & suę doctrine præstantię adscribens. Nos, inquit, cum alijs non pa-
 titur errare, qui terram semel Oceano cingi credidere. Manifestū errorē professus, quem Cic. solū
 indicauit. De Lactantio mallē vtiq; tacere, quām molestus esse tibi, qui eius authoris adeo es
 studiosus. Verum quia desyderas, & tuendę me veritatis ratio hortatur, dicendum est quicq; cras-
 siore (quod aiunt) Minerua, non incessandi quidē studio, in quo nemo non culpādus foret, sed satis-
 faciendi tibi, qui præter reliquarum doctrinarum studia, ea sectaris cum primis, quę literarum stu-
 diosis adeo sunt necessaria, vt nihil magis. Vt itaq; dicam, quod sentio, videtur mihi Lactantius
 eloquentię suę viribus plus æquo quandoq; confisus, paulo audacius aut abiecisse fastu quodā ple-
 raq; aut multo aliter, quām veritas habeat intellectuisse: inque his magnā sibi inuidiā eo cōparasse,
 quod ita superbe, ita secure differit, quasi ipse extra omnē ingenij aleam positus errare & labi non
 potuerit: omnium autem errata non videre solū, sed etiam olfacere sese crediderit. Hic cap. xxiiij.

Augustinus
Cōtra Ma-
crobiū.

Antiquitatis
opinio.

Contra Ma-
crobiū.

Sub Polis
terra nō ex/
tati.

Macrobius

Lactantius

IOACHIMI VADIANI

libr. iiij. quod tuis mihi literis indicas, adeo Antipodes refutando ineptit, vt dubitem an cum illa scripsit, satis sibi constiterit: non enim ea solum quę eruditis exploratissima sunt, nescire videtur, sed probare etiam, & asserere illa, quę si Antipodes non essent, quod ipse contendit, falsa tamen et absurdum esse omnes qui sunt animi compotes, intelligerent. Age, totum illud caput excutiamus.

Contra La/
ctantium.

vt an ita sit, sicut dico, facilius accipias. Ait primum in titulo (De Antipodibus, quos ideo esse finixerunt, quia opinati sunt mundum esse rotundum) Ecce mundum non rotundum esse, pro vero, & euidenti habuit, ideoq; Antipodes ponentum opinionē refutare conatur. Cuius tamen contrariū, de mundi rotunditate adeo euidentis est, non tam Physicis, quām nostrę religionis scriptoribus id asserētibus, vt piaculū committere merito videri possem, si rationibus hoc loco adductis probare vellem, quod nemo nescit. Audi obsecro, quid à capitis initio dicatur (Aut est quisquā tam ineptus, qui credat esse homines, quorū vestigia sint superiora capite?) Erras o diserte Lactanti, & ea quādem in re, quā iuuentutis anni tibi indicisse debuerant. Quis enim vel primis Physicę rudimentis imbutus, nescit omne id, quod sua grauitate centro innititur, quacunq; parte circūferentię locatū sit, deorsum versus niti: quod autem à centro reclinet, aut se expandat, sursum tendere? Cū igitur pedibus in terram versis centro innitantur, caput sursum proferant, vt nos in cōclum, caput habet vestigijs superius. Nec sub nostro est hemisphærio, nisi quod adusq; centrum demittitur: quod cū prætergredieris, omnis linea ducta in quacunq; partem sursum tendit. Ideo Aristot. lib. Meteororū. iiij. vbi de terræmotus causis fit mentio, Anaxagorā Clazomenium reprehendit, quod sphæræ tantū partē, quę supra nos est, sursum esse, & quae sub pedibus est, deorsum vergere putavit: stultum enim est putare ignem in altero horizonte non similiter sursum ferri, sicut in nostro, sursumq; ferri,

- quæcunq; à centro ad circūferentiam tendunt. Nec nisi impropria locutiōe cōclum infra nos esse dicere solemus, velut Vitruvius libr. ix. sydera versabunda latentiāque, quæ nobis non orientur, sub terra esse ait, hoc est sub horizonte. Porro & hoc Maronis libr. Georg. i. ex communi ratione loquendi depromptum est, cum de Austrino vertice loquens inquit: At illū Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. Cum reuera, vt Aristot. quoque asserit libr. de cōclō, & mundo, ij. vertex meridianus sit ex natura rei sursum: quod poëta doctissimus, tametsi non ignorarit, maluit tamen ex communi persuasione ducto sermone vti, aut veteres, vt s̄a pes solet imitari, quām diuersum asserere. Quandoquidem operis eum lege compulsum esse ex Metrodori sententia Seruius scribit, vt quædam ex veterum traditiōe ex cerperet, quę obscura forent. Vitruvius certe Boreale latus sumum dixit, vt eo modo polus Austrinus imus, & sub pedibus esse intelligatur. Nisi quis Democritum, & Leucippum secutum esse Maronem suspectur: quorum opiniones de mundi inclinatione apud Plutarchum legito. Nos vulgo Austrinum polum respectu Arctici, qui nobis ad latus habitantibus erigitur, pressum de cliuemque dicere soleamus. At sub pedibus esse nemo nisi improprius dixerit, nisi sub pedibus, hoc est sub horizonte, vt dixi, intelligas. Præterea si concedimus Antipodas esse sub nobis, non statim id sequitur, vt credibile sit, eos caput deorsum versus vestigijs inferius habere: quod falsissimum, verissimum putat Lactātius. Cui hoc friuolo desipere non satis erat. Addidit hoc amplius Antipodibus datis sequi, vt tota terē pars apud ipsos ponderet, cum nostra iaceat. Item arbores deorsum crescere, pluviās vero, & niues, & grandines sursum versus cadere in terram. Quin & maria, & vrbes, agrōsque, & montes pensiles illic esse. Indigna sunt hæc pudenda errata opere tuo o Lactanti: vtinam quod nesciebas, præteriſſes irreprehensum, nec lacesſendi cupidine inflammatus, ignorantiam tuam euanido lingue fuco adeo detexisses. Augustinus te longe omnium rerum peritior, terram rotundam esse negare noluit, nec tibi aliud affirmanti fidem dare: vidi enim quę dices, & quibus innitereris. Omne graue Lactanti (quod prima philosophię vestibula exhibent) à quacunque cōcli partē in centrum tendet, deorsum tendit; & vice versa quod à centro recedit, sursum. Tibi vero videbatur, quod ab Antipodum periferia in centrum caderet, sursum cadere: quod non est. Ac id ipsum quidem ex communi hominum locutione didicisse debueras, non nisi rem grauem cadere, aut vt grauitatis rationem habet descendere, id est ad centrum tendere affirmante: nam sua sponte sursum cadere nihil, sicut ne c leue quidem nisi impulsum impetu, deorsum tendere dicitur: ergo quicquid cadit, deorsum cadit. Sed quid in re aperta laboꝝ ro? Quia fiducia cōclum non vndiq; deuextum dixeris, tu videto: mihi constat id Astronomis, quibus ea in re summa fides est, nihil esse certius, qui cum Aristotele, & volvi cōclum, & moueri regulari ambitu asserunt: quod tu quoque contemnis, cū & Aethereos orbes sphæricos esse neges. Nec sequitur, quod putas, si terra rotunda est, necesse est vt in omnes cōcli partes eādem faciem gerat, id est montes erigat, cāpos tendat, maria confundat, cū maiore partem terē sub aqua esse recte cognoscētibus indubiuſ sit. Præterea quis credat, qđ tu cōcessa terē rotunditate s̄a qui autumas, nullā partē terē esse, quę tunc ab hominibus, ceterisq; animalibus non incolereſ. Nā esto tellus circūquaq; (quod tamen euenire non potest) ab aquis libera nudaretur, non tñ sequeretur eam ab omni parte habitabilem esse, ex multis causis, quas prætero. Postremo non sine quadā odiosa petulantia, hoc philosophorum responsum irrides & contemnis, asserentiū grauia cētro inniti, leuia sursum tēdere: & profecto quemadmodū nescire te scribis, quid de his dicas; ita illi si tua legent, quid de te dicant tot erroribus inuoluto, se nescire faterentur, contra quę certe pluriſma dici possēt. Tāde quod

ais, te

Notas.

Locus Ver/
gi.

A D R V D. A GRICOLAM EPISTO L A.

uis, te multis argumentis probare posse, cœlum terra non esse inferius. Nemo credit hoc Lactanti, quod cœlum terra sit inferius: mirum est cur formides id ab aliquo obtineri posse, cum hoc, admissis etiam Antipodibus, nequaquam sequatur: nimis in re concepta sollicitus es, & ne cœlum cadat times, maxime si deorsum inclinet. Argumentis his iam non erat opus, probare enim id, cuius contrarium est impossibile, non prudentis est, aut eruditus, sed verbosus, & sibi ipsi suavi labiorum timore blandienti: id quod tu hic de Antipodibus calamo peregrisse videris. Hactenus de Lactatio, & eo quidem modo, quo Narriensis Galeottus in libr. de incognitis vulgo illi obijcit. Evidem quanti Lactantij de Antipodibus sententiam putem faciendum, ex his intelligis, que hactenus retuli. Tu quod tibi visum fuerit, sequere; nolo cogi te cuiuspiam existimatione, sed monuisse certe volui, ne incautus lector huius magna alioqui autoritate caperet. Andreas Stiborius canonicus Viénensis, Theologie, & Mathematicæ peritissimus, & Encyclopedię magister, tanti alioqui scriptoris temeritatem demirari satis non potuit: cum ego ei caput hoc, quod antea quidem legerat, sed tum attentissime relegebat, iudicij gratia adhibendi, pposuisset. Nec abstinuit quidem quin assereret, magnum Lactantio apud doctiores, & fidei, & doctrinę aestimationem imminui, quod adeo hallucinatus esset: non ob hoc quidem quod nescierit, nescire enim humanum esse aiebat, sed quod adeo constanter ignorata partim defendenter, partim reiecerit. Nanque ubi quis errori se addicit, dummodo in eo persistet, sibique obsit soli, tolerabile id quidem esse aiebat: ubi autem per insolentiam & pertinacem fastum, & vero improperare, & tueri falsum cœperit, eum non odiū modo commune, verum etiam publicam detestationem commereret. Mihi vero videtur hoc ex Hieronymi sententia commode in Lactantium usurpari posse, quod Picus quadam ad Hermolum Barbarum epistola cōtra eundem usurpauit, in hæc verba: Si fuisses o Firmiane tam freques in sacris literis, quam in fictis litibus fuisti, & hoc non dixisses, & nostra non minus fortasse confimasses, quam destruxeras aliena. Sed de his sat. Quod de lacus Acromi, Venetique nominibus quæreris, perlubenter respondeo: verum si possum, paucis. Nam sum pleraq; editurus, fortasse fuius, de hoc lacu in patrię illustratę Sylua secunda: quam quia adolescens scripsi, non eram editus, sed datam olim de ea edenda fidem, ita expostulat Hermannus Miles vir clarissimus, & summa mihi necessitudine iunctus, vt quod semel sum pollicitus, sine magno pudore denegare nequerem: quicquid igitur illud lucubrationum iuuenilium fuerit, in lucem propediem dabitur. De Acromo Pomponius libro tertio, Rhenus, inquit, ab alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit, Venetum, & Acromum &c. quorum alterum eum esse constat, cui Hydropurgum patria tua iuncta est: mea vero, hoc est oppidum Sancti Galli, pass. plus minus octo millibus ad Occasum vicina. His hodie ab viciniis urbibus protrita vocabula sunt: superior enim, vt scis, lacus Constantiensis, à Constantia urbi, quæ ad eius sunt ambitum clarissima. Inferior lacus Celle, à Cella oppido rei frumentarię copia ad modum famigerato: sicut & Larius hodie Cumanus dicitur à Como, & Lemannus Genuensis à Genua, vt Cæsar, siue Gebenna, vt ferè alijs. Albertus tñ noster, nescio quomodo lapsus, Lemannū hunc nostrū esse putauit, per quem Rhenus fuit: cum Lemannum ad Allobroges esse, exque alpibus profuentem Rhodanum transmittere, omnes scribant. Lucanus libro primo, Deseruere, inquit, cauo tentoria fixa Lemanno. Tentoria autem in Gallijs tum habuisse Cæsarem notius est, quam vt referri debeat. Credo Alberto fecisse opinionis occasionem Almannos, quos ad nostrum lacum habitasse Ammianus tradit. Et sunt hodie qui à deo Alman, quæ peculiariter coluerint, Almannos dictos credant, cuius simulacrum adhuc in eius tipę vetustissimo cœnobio, quam Augiam hodie maiorem vocant, cernitur: vt uidisse se in sua Geographia Vladislaus Suntham retulit. Raphaël Volaterranus Acromum lacum Bodinę, vocabulo non sanè feliciter ex cogitato nominat: cum enim hoc ex lingua indigena ducatur, vocandus potius est aut Podmicus, aut Podamicus: cum & maioribus nostris vernacula lingua dictus fuerit. Det Podmer see, ab antiqua familia nobilium de Podmen, quorum nomē adhuc durat. Vualafridus accola oīm Veneti, Potmicum vocare voluit à fiumine, cuius ingressu nutriatur, quoniam Græcis ποταμός fluuius dicatur. Nisi quis Bodicum, seu Botigum dicere malit, hoc est fundo carentem: ita enim amnes profundos lacusque Ligures, & Hetrusci dixerunt, quos ad lacum nostrum sedes aliquando penuisse multa suę linguę monumenta docent. Sed hoc puto minus etymo nominis accedere: licet & Padum Plinius capite decimo sexto, libri tertij à Liguribus Bodicum nominatum scribat, quod suorum lingua fundo carentem significet: & Acromus multis locis adeo altus existat; vt demissio perpendiculari deprehendi fundus vix queat. Hoc magis mihi quæstione dignum esse videtur, cur vetustis alter Acromus, alter Venetus dictus sit. Quod & tu potissime literis tuis scire cupis, non illis dico proxime ad me datis: quantum & in harū postremā pagina monebar, sed prioribus per quam (vt semper) elegantibus, & scitis, quibus non iniuria dubitasse videris. Acromus ne apud Pomponium, an Acronius legi oporteat. Ego etsi Acromus diu probarim, penitior tamen vocabuli scrutinio facto, in eam sententiam pedibus eo, vt Acronius legi debere contendam, hac voce indicante lacum nostrum minus vehementia frigoris, quod nostræ hyemæ afferre solent, offendit premiue, aut nulla glacie in vniuersum obduci, quod alioqui annibus lacibusque ad Septentrionem vergentibus peculiare est. Græci nanque scriptores mundi situm,

Nota.

Andreas Stiborius Mathematicus.

Nota.

Hermannus Miles vir clarissimus.

Albertus Lepidus.

Almandus

Augia major. Volaterranus.

Acronius unde dictus.

IOACHIMI VADIANI

Septentrionis
Oceanus.

& terrarum partitionem scrutati eum Oceanum, qui in extimo Septentrione ob immensum eius cœli gelu perpetua glacie obductus videbatur, Cronium, id est Saturnum, & frigidum tardum que appellantur, authoribus inter alios Ptolemaeo, & Plinio. Hic enim capite decimotertio libri naturalis historiq. iiii. Septentrionalem Oceanum, ab Hecataeo Amalchiū nominatum fuisse ait, quod hoc nomine Scythæ eius oræ, sua lingua congelatum significarent. Philemon à Cymbris Morinianus, hoc est mortuum mare dictum, scriptum reliquit. Ille enim Oceanus (quod alijs in locis minus contingit) ad multa pas. mil. rigescere, & obdurari glacie solet, ultra quem tamen in penitiori Arctoo latere Cronium posuere, vocabulo à Saturno, qui Græce κερός dicitur, deriuato: in cuius honorem instituta quoque festa Cronia, id est Saturnalia nominant. Ob eandem causam Dionysio pigrum mortuumque mare dictū esse credi debet, ut pote sempiterna glacie rigidum. Metaphrastis Rufo, & Prisciano id aperte idicatis. Illius de Oceano Arctico scribētis versus sūt hi:
 Dicitur ille piger, nec non Saturnius idem,
 Mortuus ast alijs, minimo quod lumine Solis
 Perfruitur, tarde radios nam suscipit ortos:
 Nubibus & crassis premitur, nimbisque grauatur.

Saturnius idem dicitur, inquit, Mortuus ast alijs &c. Utroque ex Stellæ natura ducto, nam & tardissimi motus est, & naturę frigide, vitæque humanę in columitati ante alios noxius: qua ex re extimum inter vagas stellas in cœlo locum habere eum, ita artifice cœlorum prouidente, verisimile est. Rūsi autem in eandem sententiam hi versi sunt:

Nomine Saturni late iacet æquoris vnda,
 Hic densata sali stant marmora, pigraque ponti
 Senatura tenet &c.

Quia igitur lacus noster vndique vinetis arbustisque septus, & verna ferè semper facie conspicuus, adeo raro glacie summis etiam brumæ frigoribus ingruentibus contegitur, ut rigescere eum porteti loco accolē habeant, Acronium, id est sine frigore & brumali molestia dictum putarim, imò constanter asseruerim, à particula priuatiua existente: sicut Atheon dixerat prisci Diagoram, quod an dī essent (teste Cic.) dubitarit. Venetum vero alterum à colore marino, qui cœruleus est, nominatum esse satis constat. Et licet utriusque vocabuli ratio utriusque lacui congruat: malo tamen intelligi à Pompo. superiorem lacum Acronion, inferiorem autem Venetum Acronio proximum, quem & Celle lacum vocari diximus. Quanquam Pompon. Venetum dicat, & Acroniū, quasi Venetus introēunti Rheno vicinior sit; non tamen est ut ex illa vocalarum serie mouearis, natura ipsa præsertim hoc quod volui discriminem faciente. Quod ad glaciem attinet, annotatum est Patru memoria, semel Acronium mense Ianuario, Anni M. cccc. xxxv. glacie in. xiiij. diem obductum, nec totum tamen egressis scilicet qui id obseruarint, ingenti spacio intermedio deprehenso, quod vigor non clauerat, de his lacibus in Sylva nostra secunda, iuxta finem sic orsi sumus:

Acroniū mihi Musa lacus Venetique modestas
 Donabis laudes, patrios nam blandus uterque,
 Circuitu quanquam spacio amplectitur agros:
 Summoet hic longo cedentia littora fluctu
 Vnda patens, geminę geminum cui nomen, utrique
 Phama ingens, & priscus honos, nanque inclyta passus.
 Oppida consurgunt, & cincte moenibus urbes:

Quarum una est memori Constantia nomine, cuius
 Moenia præteriens, deducta comminus vnda
 Rhenus iter gelidam curuat, celeratque sub Arcton,
 Qui postquam elapsus Rhetæis alpibus, ortu

Vitiferam transit sinuato flumine vallem,
 Albent esque vndis campos: immergitur altis
 Fluctibus, & longum proprijs sibi uendicat vndis
 Non diuulsus iter: tandem superante fatiscit

Agmine ab Eoa venientis parte procellę:

Qua lacus immenso tractu diffunditur, amnes
 Vndique collapsos rapiens. Quem docta vetustas

Acronium dixit, rigido quod ab aëre nullam

Accipiat glaciem, Scythico nec frigore pressus,

Vernanti brumæ mitescat tempore fluctu.

Cœruleo Veneti nomen duxere colore,

Nanq; ubi Parrhasio Boreas propellit ab axe

Sudificus nubes, splendensq; intermicat æther,

Aemula cœlesti ductim iacet vnda colori,

Et varium tremulis inscribit motibus æquor.

Hic,

Lacus Veneti.

Constantia
urbe.

AD RVD. AGRICOLAM EPISTOLA.

Hic, vbi contractis iterum se includere ripis
Incipit, & salicum rursus prospere in umbra
Rhenus Nymphaeum pater inclitus, & decus ore
Arctoë &c.

Omnino autem mecum sentiunt, qui hunc lacum Brigantinum à Solin. nominatum defendunt: cū ille cap. xxxij. vbi de Gallia, inquit, in haec verba: Si Thracia sit petenda, excipit ager Rheticus opimus, & ferax, Brigantino lacu nobilis &c. Strab. enim ultra Rhenum in meridiem ab eius fontibus, & in Ortum Rhetos esse libro. iiiij. scribit: post quos trans Licum intra Istrum & alpes Vindelicis, & quos ibidem Solin. nominat, Norici, usq; ad Pannonas in Ortum vergunt. Brigantinum autem à Briganto dictum oppido per quam vetusto indubium est, quod ad Acronis initium situm, frequenti hodie hominum habitatione colitur. Et quoniam citra Rhodanum in Ortum Solis Helvetij adusque Rhenum circū circa excurrunt, quod Florus quoque lib. iiij. scribit, quicquid ultra Rhenum, & Acronium est, ad Rheticos pertinebit, quos illis vicinos esse constat: Claudianus quoque ad Rheni, & Danubij principia Rhetiae tractum esse, his versibus in Alarici victoria prodidit:

Sublimis in Arctoë

Rhetia sylva

Prominet Hercinię confinis Rhetia sylue,
Quę se Danubij iactat Rhenique parentem.
Vt rāque Romuleo prætendēs flumina regno,
Primo fonte breues, alto mox gurgite regnant,
Et fluuios cogunt vnda coēunte minores
In nomen transire suum, te Cymbrica Tethys
Divisum biduo consumit Rhene meatu,
Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite:
Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
Terga rotis, ambo Boreę Martisque sodales. &c.

Lucani lo-
cus.

Dorion.
Dotion.

Stephanus
Taurinus.

Quos eo libentius adscripsi, quod Rheni in hunc nostrum lacum fluentis, Danubiique laudes continent. Non me latet Ptolemaeum non longe à lacu Verbano, qui iuxta Larium est ad radices Alpium, Brigantios posuisse, quorum oppidum hodie Brianson vocant, Brigantino vino nobile, de quo hic intelligere nemo potest: cum quod Italię confinia ad Galliam attingentia prius memorauit Solinus: tum etiam quod ex Gallia, inferiori præsertim, & ad Rhenum tendente, per Rheticum, iter proximum in Thracię latus est. Habet de lacubus Veneto, & Acronio. Intellige paucis (vt faciam epistole finem) de Lucano. Ego sane casu factum non credo, vt is de quo mihi scribis Panno, de locis Grammaticis mota controversia interim ex te scire voluerit, quid de illo Lucani ex libro eius sexto sentires: Quę tetigit Philace, Pteleosque, & Dorion ira Flebile Pieridum, vbi de celebribus Thessalicię vribibus mentio fit. Erratum enim est à poëta doctissimo, alioqui & propè omnium rerum p̄cito, quod ego antequam literas tuas legi nunquam animaduerti: quādoquidem & sensus perplanus, & interpretum consensus non aliud mihi offerebant. Verum cum de Dorio lego Plinii inter Thessalicię loca, libri quarti capit. ix. incido casu in Hermolaum Plinianae eruditioonis thesaurum, & (quod omnium maxime mirabar) hallucinatum esse Lucanū intelligo, quod is Thessalicię oppido id tribuisset, quod in Achaia contigisset, vbi Doriō esset irascientibus Thamyrae Muis memoratum: illud autem in Thessalia non Dorion, sed Dotiō dici. Verū est illud Horat. Quādoque bonus dormitat Homerus, Atque opere in longo fas est obrepere somnum. Cæterum ita esse ex Homero & Statio, capi. v. quarti de historia naturae Plin. Hermolaus probat. Ago ego tibi hoc loco gratias Rudolphe, quod occasione studij tui, factus sum te commonente eruditior. Non enim facile quis alias mihi de tanti scriptoris errore tam leui, quicquam persuasisset, & tanto literarum & græcarum & latinarum censori fides debebatur: in tuto enim ille gradum sistere mihi videtur, qui in rerum obscurarum iudicio ab Hermolao raro dissentit. Habet quod petieras, ac nescio, an ea diligentia conquisita, vt votis tuis abunde possint satisfacere: ipse neruos contendit, quādque potui intra id tempus, quod mihi adscribendum dabatur, feci. Nec est vt in hoc differenti tecum genere, aut elegantiam expectes, aut aptam rerum seriem: scribimus enim vt in animum res verbāque incident, in his præsertim, in quibus res tractatæ plus loci dignitatisq; sortiuntur, quām vlla nitoris gratia comparare queat. Si quid est, quod aut temeritati, aut pertinaciæ accedere putaueris, id fide caret. Sin autem placuerint singula, eatenus placeant, vt me Dauum, non Oedipum, sicut volebas, existimes: quasi porrò alia quærenti tibi, æqua festinatiōe satisfacere possem, aut de quibusuis rebus proponenti, quod Carneades solebat, extemplore respondere: quis enim hoc faxit non doctissimus, & expertissimus aliquis? Mihi certe ipsi multa restant in his dubia scriptoribus, ē quibus illa deprompta sunt, quæ te torserunt. In summa, gratissimum mihi erit, si proximis tuis ad me literis id egiſſe me fateberis, quod officiis ratio postulare visa est. Nulla mihi aliqui cura struitur, in quancunque partem hæc nostra sedulitas casura sit. Vale bene, & Stephanum Taurinum iuris consultum virum optimum, & doctissimum, si adhuc Istrograni apud Cardinalem vestrum degit, meo nomine impense saluta, vtque aliquid ad me literatum det hortare: ex eo enim

IOACHIMI VADIANI ADRVD. AGRICOLAM EPISTOLA.

tempore, quo ex vrbe Roma reuersus, Viennę apud me Collimitiūmq; & tū conuiuij nostri Sympo
siarcham Iacobum Spiegel iureconsultum, & Secretarium Cæsareum, vna se amica iu-
cunditate oblectauit, quid agat, aut qua fortuna sua stet conditio, nec fama,
nec literis intelligere potui; id quod mihi non parum in hominis præ-
sertim tam amici desyderio molestię affert. Si isthic
non est, mihi significa. Vale iterum.

Viennę Austriae, Anno,

M. D. XII.

**IOACHIMI VADIANI AD RUDOLPHVM
AGRICOLAM EPISTOLAE
FINIS.**

**LUTETIAE PARISIORVM MENSE
IVNIO, ANNO A CHRISTO
NATO M. D. XXX.**

CHARTARVM ORDO.

α β γ δ ε φ γ ι κ λ μ ν ο π ρ σ τ υ χ ύ.
Omnes sunt terniones præter & quaternionem, & A Y duerniones.



